

Chartes et documents de Saint-Bénigne de Dijon. Prieurés et dépendances des origines à 1300. Tome premier., 163

Warnerius episcopus, primo anno sue ordinationis, DCCCCXII videlicet Incarnati Verbi, indictione XV, residens in sinodo in gremio matris ecclesie sancti Mammetis, coram archidiaconibus et abbatibus atque omni clero, interpellatus est a Godrado abbate et monachis patroni nostri sancti Benigni, de quadam ecclesia infra muros castri Divion sita, sancti Vincentii honore ac nomine sacrata, quam domnus Geylo episcopus, ad locum refugii et custodiam corporis sepius dicti sancti Benigni, perpetualiter eis habendam concesserat, et de qua, cum longo tempore ea usi essent, repulsi erant a Ratherio archidiacono et abbate, canonico ecclesie sancti Mammetis et preposito abbacie sancti Stephani. Considerans ergo memoratus episcopus causas periculorum, que tunc frequentes imminebant Nortmannorum incursionibus, cum consilio et laude ipsius Ratherii ac totius sinodi, reddidit ipsi abbati Godrado et monachis predictam ecclesiam sancti Vincentii, cum habitaculis ad ipsam ecclesiam atrii loco pertinentibus, quas ipsi monachi olim ibi ad refugii locum construxerant: de qua ecclesia fecit eis privilegium episcopali auctoritate, ut nullus succedentium deinceps aliquam vim aut calumpniam sancto Benigno et monachis eidem servientibus inferret.

Dedit et quamdam sui juris ecclesiam infra muros Divionensis castri in honore beati Vincentii martyris constructam, cum omni videlicet mansionum ipsius atrii integritate: interveniente Godrado abbate, quatenus monachis istius cenobii esset ad refugium, si quando hostilium deterreret adventus nationum.